



1. v  
2. v  
3. v  
4. v  
5. v  
6. v  
7. v  
8. v  
9. v  
10. v  
11. v  
12. v



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
D Y S E N T E R I A  
QUAM EXCEPIT  
A P H O N I A  
C U M  
E P I C R I S I  
QUAM  
P R O L I C E N T I A

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI

IN  
INCLYTA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
DIE XXVIII. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXV.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J O H A N N E S F R I D E R I C U S  
M O S E D E R ,  
A R G E N T I N E N S I S .  
H . L . Q . C .


---

ARGENTORATI,

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

AMICIS

SACRUM.



## PROÆMIUM.



De Dysenteria in hoc Specimine Academico agere apud me constitui, tam ut de atrocissimo morbo ex iis, quæ Doctissimi Viri passim tradiderunt, aliquod compendium B. L. proponerem, quam ut gravium malorum, quæ ex remotis fontibus subinde profluunt, exemplar rimandi occasio mihi nasceretur. Huc enim spectat rarior casus, cujus historiam Venerandus meus Optimusque Pater, ut eum elaborarem, benignissime mihi concessit. Abunde certe constat, quantum ad morbos fugandos iusta causarum notitia juvet, quantumque ad has cognoscendas sedula earum pervestigatio nec non ab aliis nobis transmissa observata contribuunt. Hanc ob causam igitur, etsi vires

A

pertractandæ materiæ, vix pares esse sentiam, non omnino tamen hos meos conatus inutiles fore. Teque B. L. illis fauturum esse confido.

C A S U S.

*Uenter* Puer XII. annos natus ab admisso æstuanti cor-  
 poris frigore XV. Augusti 1762. incidit in Dyf-  
 enteriam, gravibus symptomatibus, febre nempe  
 continua inflammatoria, nausea, siti inexplebili,  
 exquisitis circa umbilicum ventris torminibus,  
 Tenefimo pertinaci, ac dejectionis bilioso-cruentis,  
 plusquam centiis Nyctæmeron ægrotum fatiganti-  
 bus, stipatam.

Pulsus erat frequens, durus atque contractus.  
 Hinc Medicus in auxilium vocatus, binas statim in  
 brachio celebrari curavit venæsectiones, quibus  
 cruor densa inflammatoria crusta obrectus, detractus  
 est. His subjunxit Laxantia mannata alteris diebus  
 repetita, frequentia Enemata, Remedia antiphlo-  
 gistica, diluentia, demulcentia, involventia, in-  
 unctiones, Embrocationes, Cataplasmata, emol-  
 lientia ac discutientia abdomini applicata, ac tan-  
 dem lenia Tonica, eo quidem cum successu ut dirus  
 morbus XIV. dierum spatio mitigatus, sub finem  
 tertix hebdomatis penitus cessaverit, summa tan-  
 tum virium prostratione remanente.

Ast dum omnia in vado esse credebantur  
 XXIV<sup>to</sup> a primo morbi insultu die absque ullo in

VI. rebus non naturalibus commisso errore, aliaque causa evidenti derepente aphonos factus est puer.

Nulla in lingua ejusque musculis adfuit Paralyfis, siquidem quaqua versum illam movere, extrahere, solida æque ac fluida deglutire & ejulatus edere sed ne verbum quidem articulare potuit. sensibus tam internis quam externis illibatis existentibus. Omnia enim in organa sensuum agentia percepit, gestibus ad propositas respondit quæstiones. Contigit appetitus deque nullo dolore vel ingrato oris sapore conquestus est æger.

Causam itaque hujus aphonix in debilitate vaporum minimorum, & nervorum ad instrumenta loquelæ tendentium, impeditoque libero transitu sanguinis & fluidi nervei per eadem quærens, interne Nervinis, camphoratis, Collutoriis & gargarismatibus roborantibus, externe faculis speciebus cephalicis repletis, ac vino rubro incoctis his partibus prospexit, Nuchæque largum Vesicatorium imponi curavit, sed omnia incassum. Pertinaciter enim continuavit aponia ad decimum usque diem, quò striæ flavescens in Lingux radice apparentes Bilis in primis viis hærentis dederunt suspicionem; statim Tartarum Emeticum in aqua solutum propinavit Medicus. Magnam exinde viscidæ Bilis copiam vomitu ejecit ægrotus, qui momento post miraculi ad instar loqui incepit, nullumque ab hoc tempore unquam passus est Loquelæ impedimentum.

§. I.

Alvi fluxus acerrimi Ventris torminibus, febrili commotione & tenefino ſæpius ſubſequentē dyſenteriam ab aliis morbis diſcernit. Variæ indolis excretæ ſordes ſanguine quidem frequenter tinctæ reperiuntur, non tamen vel in lethali morbo adeo perpetua atque eidem propria hæc circumſtantia eſt, ut ad vulgi morem inter ſigna ejus pathognomica referri mereatur *a*). Dicta quo melius intelligantur, oportet diverſa dyſenteria genera, ſedem atque phænomena in ſingulis apparentia nunc recenſeri.

*a*) Sanguinis dejectionem in Dyſenteria conſtanter aſſeſſe cum HIPPOCRATE *de Affect.* L. II. C. XXIV. & CELSO L. IV. C. 15. plurimi aſſeruerunt: Contrariam vero huic ſententiam dudum jam a WILLISIO *de Medicam. operationibus* p. 46. SYDENHAMO *in Op.* Sect. IV. C. III. DEGNERO *Hyſt. Dyſent. &c.* pag. 21. aliisque propoſitam egregie roboravit III. MORGAGNI *de ſedibus & cauſis morborum.* Epilt. XXXI. art. II.

§. II.

Contagio frequenter noſtrum morbum plures homines adoriri, & Autumnali præcipue & Vernali tempore latas regiones devaſtare, alias vero nonnullos tantum ex cuius priva cauſa hinc inde corripere, ex illis concludere fas eſt, quæ ubivis in Obſervatorum factis proſtant. Non minus neceſſaria ex illis differentia elucet, qua vel mitis eſt, vel inflammatoria, putrida, maligna quin & mixta indole ſtipatus occurrit. Quæ-



dam etiam Dysenteriae acutae, quaedam Chronicae *a*), aliae ex suis causis natae, ad quas proprie hic respiciam, aliae ab alio morbo productae animadvertuntur. Differentiam vero inter diarrhoeam & dysenteriam solummodo stabiliunt, qui hanc in febrilem dispefcunt. Semper enim cum horrore febrili morbus agrum invadit, quem major vel minor calor pulsusque frequentia dein excipit. In valde nocivum quoque errorem hanc distinctionem mendentem inducere Cel. ZIMMERMANN *b*) optime monet, si nempe ille dysenteriam non febrilem adesse putaret, dum ob vires prostratas non multum de febris impetu percipitur *c*). Divisionum ceterum finem non assequeremur, si pro materiae dejectae qualitate in quovis morbo plurimum variante, atque ex reliquis symptomatibus, quae non necessaria Pathologis audiunt *d*), diversas dysenteriae species conderemus.

*a*) Chronicae vocantur, quando ultra tertiam aut quartam septimanam perdurant. Conf. Celeb. ZIMMERMANN von der Stühr. p. 366.

*b*) l. c. p. 323.

*c*) Ita DEGNER multos gravi Dysenteria laborasse & periisse refert, in quibus nullam febrem dedrehenderat. l. c. p. 22.

*d*) conf. WILLISIUS loc. cit. DEGNER p. 4. 20. 41. & c. HUXHAMII *Op.* Lips. 1764. T. I. p. 284. HOFFMANN *Med. rat. Syst.* T. IV. P. III. p. 258. SAUVAGES *Nos. Meth.* T. III. P. II. p. 82. & 89.

### §. III.

Totus intestinorum tractus ab acri contento fomite laceffitus hujus mali sedem constituit. Et quidem praë aliis ea loca magis afficiuntur, quae il-

lum in majori copia fovent; duodenum, nimirum, cum ventriculo, cœcum intestinum, coli cellulæ, rectum spastice constrictum, omnisque intestinum pars, ad quam per morbi vim materies translata *a*), & in qua retenta fuit. Doloribus tunc sævis eo in loco potissimum vexantur ægroti, & tenesmo non quidem a solo recti sine *b*) sed remotiori etiam colo & cœco irritatis *c*) orto excruciantur.

*a*) vid. SYDENHAM l. c. p. 188. Edit. Lugd. Bat. 1754. *Jam olim diximus, quod sæpe numero hic morbus . si diutius excurrat intestina seriatis omnia deorsum versus afficiat , donec omnis ejus vis in rectum decumbat.*

*b*) SYDENHAM l. c. HOFFMANN l. c. p. 532.

*c*) MORGAGNI Epist. cit. art. 27. & 28.

#### §. IV.

Mitem dysenteriam præcedit, prouti reliquas, sæpius per aliquot dies molesta corporis lassitudo, ciborum fastidium, dolor capitis, nausea, diarrhœa, ventrisque tumor; horror deinde atque calor fati moderatus sequuntur, ut & tenesmi vario in gradu, cum dejectionibus primum solidioribus, mox autem aquosis, mucosis, flavis, viridibus non adeo copiosis *a*), quibus sanguinis striæ quandoque immixtæ sunt.

*a*) A viginti quinque ad quadraginta circiter. Conf. TISSOT, *Avis au Peuple*. Paris 1769. p. 274.

#### §. V.

Reliqua vero genera ex symptomatibus haud difficulter cognoscenda sunt, quæ cuivis morbo, ex

quibus componuntur, propria sunt. Hinc in inflammatoria dysenteria notas pulsum magnum atque durum, sitim, calorem & capitis dolorem intensum, tumidum & vehementer dolens abdomen, vomitus quandoque, & quod cum frequenti alvum deponendi stimulo parum excernatur. Putrida *a*) a reliquis eo distinguitur, quod languor, nausea, vomitus, cardialgia, anxietas præcordiorum, capitis dolor, linguæ sordes, halitus fœtor in summo gradu adint; pulsus præterea sub frigore febrili celer & parvus, insurgente calore elevetur quidem, sed duritie non gaudeat, hypochondria tensa & inflata, tormina valida, tenesmi frequentes, alvi profluvia numerosa, alba, flava, viridia, cruenta, admodum graveolentia, & urina pauca deprehendantur *b*. Maligna laborant, in quibus stupor faciei, virium prostratio, sensuum in & externorum hebetudo, pulsus celer & debilis, novi, durante morbo, horrores, tendinum subsultus se exhibent, & in quibus præter reliqua malignitatis signa comparantur eximia anxietas circa præcordia, vomitus sine levamine, mox præsentia, mox absentia dolorum per intestina vagantium, abdominis intumescentiæ, tenesmi & alvi profluvii varii coloris & pessime olentis *c*). Mixtæ dysenteriæ ex illarum, unde componuntur, signis agnoscuntur. Sic nostrum ægotum gravi febre bilioso-inflammatoria decubuisse ex symptomatibus colligi potest, quæ in morbi historia recensentur.

*a*) Cui bilioso-putridæ cognomen addunt si bilis corrupta, quod frequenter contingit, morbum generavit, sive auget.

- b) vid. Cel. ZIMMERMANN. Cap. II.  
 c) Qualem descripsit inter alios WILLISIVS p. 46. & seqq.

§. VI.

Causa proxima ab acri & putrida colluvie derivanda est, quæ intestinorum functiones turbat, humores in majori copia versus illa attrahit, eisdem atque ingesta alimenta pervertit, massam sanguinis depravat, systema valorum cum corde irritat, & intestina ad fortiores contractiones, motum peristalticum frequentiore[m] instituendum alvumque deponendi nisum sollicitat.

Hinc læsæ digestionis symptomata, motus febri- les, tormina, sedes plus minus copiosæ, fluidæ a) putridæ b), cruentæ c), quin & continuante morbo villosæ abrasæ d), saniosæ materiæ excretio, intestinorumque inflammatorum suppuratio, gangræna & mors.

a) Aquosæ sunt, mucosæ, albæ & pingues. Priores oriuntur ab irritatione valorum exhalantium & eorum quæ glandulas simplices adeunt. Hæ enim solæ eliminantur, si sordes nimis tenaces villosæ valvulisque intestinorum conniventibus adhærent, aut in altiori loco, etiam in ventriculo morantes irritationem ad reliqua intestina propagent. MORGAGNI Epist. cit. n. 26. Albæ itidem mucosæ originem suam debent, quum vasa glandularum lacessitarum crassiores partes cum mucosæ elabi sinunt, & ipse a rodente acrimonia mutatur, id quod in aliis etiam mucosæ officinis contingere quotidie experimur. Male igitur hanc albedinem etiam in casibus, ubi nulla inflammatio obtinuit, a pure derivant. vid. MORGAGNI loc. cit. art. 17. Idem III. Auctor docet pingues (vid. & SRALPART VAN DER WIEL. Cent. I. obs. 61. & not.) a pinguibus devoratis, alterato mucosæ, & rarius a mesenterio per ulceratum intestinum derivandum esse.

b) Varii pro materiæ corruptione, coloris flavi, viridis (ex bile corrupta aut saltem quod ea tinctæ sint) fusci, & atrii.

c) San-

c) Sanguinem non semper exerosis, sed potissimum ex dilatatis vasis fillare, prouti in aliis casibus id fieri solet, jure statuit MORGAGNI loc. cit. n. 17. Cel. ZIMMERMANN p. 371. qui copiosam ejus excretionem ex coli sine aut recto provenire & sæpius utilem esse, refert; vid. quem citat. DEGNER p. 21.

d) Sic & carunculas carneas non ubivis pro fungosis ulcerum carnis habendas esse, sed a sanguinis parte fibrosa formari, quæ in coli cellulis coiverat, probabile est.

Qualem viderat TULP. *Obs. Med.* L. III. C. XVII. Nec omnes huic similes massas pro tali habendas esse, sed exhalantem arteriarum liquorem viscidum redditum eas constituere monet VERDRIES *Ephem. Nat. Cur.* Cent. I. obs. 90. MAURITIUS HOFFMANN *ibid.* Dec. 3. art. 9 & 10. obs. 60. Alias & a parte fibrosa sanguis eandem formari refert MORGAGNI l. c. art. 19.

### §. VII.

Dysenterix obnoxii sunt illi, quorum primæ viæ fordibus multum scatent. Hæ partim a biliosa ex suis causis oriunda faburra generantur, partim a cibo atque potu insalubri, qui sive in putredinem proni sunt, v. g. carnes maxime non recentes, pisces, & aquæ putrescentes, sive aërem elasticum generando digestionis & chylicationis vires enervant, alimentorum in bonum succum conversionem impediunt, adeoque tales cruditates & consueta ex his chyli vitia gignunt, quod illis præcipue accidit, quibus vires hæ debiles sunt; pueri igitur, senes, mulieres cachectici in hunc morbum proclives sunt. Hoc respectu fructus horræos & præ ceteris fatuos nimis assumptos aliquatenus nocere posse, acerbos autem & immaturos has vias occludendo, sed nonnisi fordibus jam præsentibus, dysenteriam producere, non negandum est. Sin-

B

gulares autem & quasi venenatas vires, quas olim eis adscripserunt, nullas esse, fere superfluum foret, ut monerem, nisi in plurium animis alte adhuc hæc opinio irradicata esset. Liceat igitur cum Cel. Viris repetere, quod dulcis acidusque horum fructuum succus putredini resistente sanguinisque spissitudinem egregie resolvente virtute præditus tanquam remedium melius, quam causa dysentericæ considerandus sit *a*) & quod noxæ ab illis metuentæ facili negotio evitari aut corrigi possint.

*a*) vid. PRINGLE *Observ. on the Diseases of the Army*. Edit. 4. p. 88. & seqq. & Venerandus meus Præceptor SPIELMANN in *Institut. Mater. Medic.*

§. VIII.

Valde autem huic dispositioni inferendæ certa anni tempestas favet *a*); æstatem volo, quæ si calidior sit, sanguinem exæstuat, fluidiora dissipat, aptum ergo illum & præsertim bilem cunctosque humores, qui in intestina deponuntur, reddit, ut levi nata occasione, in acrimoniam §. præced. dictam, erumpant. Hyemem quoque non plane innocuam esse evidens est, quia transpiratio tunc non rite procedit, ut particulæ acres in sanguine sensim coacervari debeant; nec non quia ex cibis durioribus alimenta capimus, quæ viscera chylopoietica aggravando cruditates oriri faciunt. Quodsi vero omnes hæc causæ diutius obtinent, aut æstate, maxime mensè Julio, Augusto, Septembri aër pluviosus & nebulosus redditur, ut frigus noctu aut ma-

tutino tempore inde oriatur, tunc incautis acres factæ particulæ cum sudore continuo e corpore eliminandæ mox introrsum versus intestina ruunt, bilem in majori quantitate generant, illam & omnia quæ ibi reperiunt in pessimam indolem convertunt, unde tubus hic stimulatur, corroditur, febrisque accenditur *b*). Eadem contingunt, sed non ita frequenter, verno tempore, quo per hyemem collectæ sordes a resurgente calore commoventur, & propter variabilem tempestatem salutaris excretio cutanea arcetur, quibus quoque se associant noxii ex terris antea congelatis exhalantes vapores *c*).

*a*) HIPPOCRATES *de Aëre, Aquis*, l. c. p. 25. 27.

*b*) Hinc forsitan CÆLIUS AURELIANUS rheumatismum intestinale hunc morbum appellavit, cum ulceratione. *De Morbis Acutis & Chronicis*. Edit. Amstelod. 1709. p. 524.

*c*) Conf. HUXHAM l. c. p. 45.

### §. IX.

Contagio enim quoque *a*) hic morbus epidemice grassans late propagatur & meticulosos præsertim aggreditur, si aër putridis exhalationibus hoc aut alio morbo putrido laborantium *b*) aquarum stagnantium aliarumque rerum putrescentium inquinatus est, ut &, si subtiliori, sensibus nostris non manifesto, sæpius maligno miasmate ditatus est, cujus natura non minus ac modus, quo singularia §. V. descripta symptomata creat, nobis latet.

Id saltem ex ejus effectibus concludere licet, quod vim vitalem *c*) atque cum ea communicantem

vim nerveam privo suo irritamento ita aggrediatur, ut statim torpeat, nexus igitur principiorum solidas tunc & fluidas partes constituentium in dissolutionis nisum disponatur. Probe vero hic notandum est, quod ut dysenteria ex tali miasmate surgat, illa febris indoles requiratur, quæ humores, sive secundum SYDENHAMUM, causam morbificam d) ad intestina mittat. Ex variis itaque his causis, earum gradu, virulentia atque concursu ratio diversorum dysenteriarum generum elucet.

- a) Ill. VAN SWIETEN *Comment. in BOERHAAVE Aphorismos T.V. Cap. de Morbis Epidemicis.*
- b) Hinc vestes talium ægrotorum & quæcunque eorum fordibus aut exhalationibus imbuta sunt, simili contagio ansam præbent. Haud parum quoque illud promovent habitationes angustæ, depressæ, humidæ, hominesque plures, quorum aliqui hoc morbo in iis decumbunt, aut in alio angusto spatio degunt, prouti id in carceribus, nosocomiis, & castris, fit. Conf. PRINGLE l. c. p. 84. & seqq. p. 333 & seqq.
- c) De qua Ill. GAUBIUS eleganter disseruit in *Institut. Patholog.* §. 169. & seqq.
- d) l. c. p. 45. & 182. Conf. & WILLISIUS l. c. p. 47. 50. & 51.

### §. X.

Quid ergo in morbo nostro sperandum, quid metuendum sit, superest, ut breviter recenseam. Eo lætior erit prognosis, quo minus læsæ functiones a sanitatis norma recedant. Minus autem ab ea recedent, si ægrotus antequam morbum conceperit, bona sanitate gavissus fuerit, nec ejus vires a causis morbi nimis incitatæ vel prostratæ sint, nec morbus jam aliquod irreparabile damnum fecerit.



Spes igitur curationis nobis affulget, si pulsus celeritate, duritie, debilitate non multum peccat, aut adhibitis auxiliis non resistit, si mens sui conficia, calor moderatus, decubitus sanorum similis est, & cum his hypochondria molliora redduntur, anxietates præcordiorum & dolores minuuntur; excrementa etiam biliosa cum sudore levante, nec non metastases ad exteriora depositæ salutaria esse solent. Omnia tunc in melius ruere certiores reddimur, quando alvi evacuationum minor numerus fit, fæces magis cohærentes, naturalibus similiore, sanguine minus aut plane non tinctæ tandem conspiciuntur, tormina & tenesmus evanescent, somnus, appetitus, corporisque vigor redeunt. Fiunt hæc absque certa crisi & periodo, ut plurimum autem a septimo usque ad decimum quartum diem morbus solvitur.

§. XI.

Mitis etiam dysenteria absque ullo adhibito auxilio sic nonnunquam tollitur; sæpissime autem sibi commissus morbus ex hac causa, malo regimine, diætæ erroribus aut ob prægressam debilitatem intestinorum chronicus fit *a*), in quo morbo sedes quidem non ita copiosæ nec tormina adeo atrocitas sunt, sed omnia mala expectanda sunt, quæ a læsa digestionem, corrupta contentorum indole, & excedentibus evacuationibus surgere consueverunt; debilitas nempe, ulceratio intestinorum, acrimonia humorum, tabes, hydrops & mors.

a) De quo vid. Cel. ZIMMERMANN p. 366. & seqq.

§. XII.

Citius vero infaustum exitum noster morbus fortitur, 1) dum intestina inflammatione corrupta, vel ad eam prona spaltice constringuntur, unde immanes dolores, & per consensum nervorum convulsionones subitaque mors, vel antequam inflammatio & gangræna nascatur, creantur a); hinc perspicitur, cur anus pertinaciter clausus malum omen sistat, nec non, cur HIPPOCRATES *dysentericis vomitum biliosum in principio malum esse docuerit b)*. 2) Dum intestinorum sive ab initio præsens sive sub morbi progressu, accedens inflammatio, novo horrore prægresso, in suppurationem abit, quæ, quo major, minusque patens, eo periculosior habenda est, quum intestina sic eroduntur, perforantur, ut tabes, aut, effusa in earum abdominis sanie, cum fecibus, cita mors inferatur. Eadem metuenda erit 3) dum metastasi facta materies morbosa ad nobiliora & recondita loca deponitur vel noxiæ magis extricantur c). 4) Etiam, si validior inflammatio, interdum ad fauces usque ascendens, adfit, quam quæ benigniter resolvi, aut suppurationem movere possit, ut ergo hæc in gangrænam proximumque ei sphacelum abire minetur, id quod plurimæ cadaverum sectiones demonstraverunt. Tandem 5) si debiles, cachecticos, gravidas & puerperas d), morbus ingruit, aut talis morbi causæ natura est, ut vires ilico prosterнат, unde sanguis

facile resolvitur, viscerum vasa obstruuntur, atque in genere solida ad fatalem necrosin disponuntur. Animadvertuntur tunc cum reliquis gangrænæ signis, numerosas dejectiones cum pulsus collapsu, singultus, excrementa tenuia, viridia, loturæ carniū similia, ichorosa, odoris intolerabilis cadaverosi, urinæ colorem fuscum, ardorem, retentionem propter communicationem inter recti & vesicæ nervos, ejusque mox cum fecibus infcio ægroto elapsus, aphthas, exanthemata miliaria, petechias, artuumque sphacelum. Quæ cuncta quo majori in gradu & numero aderunt, eo magis de ægroto conclamatum erit.

a) Conf. III. VAN SWIETEN Tom. III. p. 168.

b) *Coac. Prænot.* Edit. Linden p. 567.

c) Conf. BONETI *Sepulchret.* L III. Sect. XI. obs. VII. PRINGLE l. c. p. 250.

d) DEGNER l. c. p. 25. & seqq.

### §. XIII.

Indicatio curatoria hujus morbi in genere exigit  
 1) ut causa morbifica e corpore expellatur, atque id quod una vice ejici nequit, interea mitigetur, ut minus noceat, & ad iteratam expulsionem aptum reddatur; 2) ut febris peculiaris naturæ ratio habeatur. Primum momentum expletur emeticis datis, quando saburra in ventriculo & duodeno latet, tunc &, si contra indicantia emeticorum usum dissuadent, aut materies in alia canalis intestinorum parte hæret, purgantibus eccoproticis inter quæ

ferum lactis egregium usum præstat, enematibus mollibus, derivante sanguinis missione, si plethora adest, nec non lenibus diaphoreticis, si causa morbi (§. VIII. & IX.) ea postulat. Eadem mitigatur potu largo aquæ tepidæ, quam optime viribus vegetabilium ditamus, quæ acida & saponacea indole putredini resistunt & sordes abstergunt. Illis interpolentur talia, quæ mucilaginosæ & oleosis partibus, quibus scatent, acria involvunt, intestina, quorum mucus continuo abraditur obducunt, ea irritata relaxant, dolores ergo sedant, morbumque levant. Linteorum puritas ærisque renovatio & correctio præterea non negligendæ sunt. Quoad victum autem omnia exulent, quæ in corruptionem alcalinam prona sunt, ab imbecillibus visceribus chylopoieticis subigi non possunt, & quæ eadem irritant atque sanguinem exæstuant <sup>a</sup>); alimenta autem seligantur, quæ viribus simul medicamentosis gaudent. Votis ergo respondent cremores ex hordeo, oryza, avena parati, panis decoctum, fructus horræi acidi & dulces cocti, affati, saccharo conditi, aut crudi si æger robustus fatis est, ut sine incommodo eos digesturus sit. Morbo exitui nunc proximo Rhabarbaro solo sive cum aliis purgantibus mixto omne quod reliquum adhuc est, optime ejicitur, & eodem medicamento tonus viscerum pulchre restituitur, ut raro aliis purgantibus opus sit; ubi sensim solidiores ex vegetabilibus epeptis concedantur, post hæc ad carnes teneriores & vini usum paulatim æger redeat.

<sup>a</sup>) Multo

a) Multo minus a me impetrare possum ut roborantia valida, aromata, opium, lac, pro medicamentis habeam, quæ ad plurimas dysenterias fugandas valeant, quorum usum haud ita pridem confirmaverat Cel. VOGEL in *Præleç. de cognosc. & curand. C. H. affectibus*. Gætting. 1772. De aliorum experientia hic nihil addam, Cel. quoque Viro fidem non denegabo, quod iis cum fructu usus fuerit, sed id tantum fateri liceat, quod remedia ista nec in coryza, quacum comparat morbum, indiscriminatim proficua sint, nec, si id forent, in primis viis eundem usum præstare possint, quorum contenta certe non ita mitis naturæ sunt, ac ea quæ in aëreis viis reperiuntur, quæque semel immutata non impune in corpore retinebis.

§. XIV.

Cum vero plura dysenterix genera occurrant, & in ipso genere quodvis fere individuum ab altero differat, patet, quod pro rerum circumstantiis dicta medicamenta diversimode adhibenda, mutanda, quin & aliis postponenda sint; sic quid de valde celebratis sic dictis specificis censendum sit a), quomodo plurimis carere, iisque utiliora & tutiora substituere possimus, intelligatur ex breviter nunc consideranda generum cura. Etenim si inflammatio dysenterix juncta est, ad id primum attendendum erit, ut cruor densus educatur, solvatur & ab intestinis avocetur, ut meliori cum successu stimulus obtundi & intestinorum stricture, quibus vascula coarctantur, tolli possint. Sic enim, prouti id in nostro ægroto evenit, cruor si jam impactus est attenuabitur & a justo sanguinis undique urgentis impetu in debitas circulationis vias regredietur, ut eo abire possit, quo natura jussit.

C

Fiunt hæc repetita quantum necesse est venæ sectione, abdomini applicitis cucurbitis, inunctionibus, fomentis & cataplas matibus emollientibus, quibus quædam discutientia adduntur. Intus profunt emulsiões, mucilaginosæ, v. g. gummata pura præsertim Arabicum Gummi, decocta & infusa plantarum & seminum mucilagine scatentium. Hunc in finem, & ut motus antiperistalticus sistatur clysmata ex iisdem frequenter injiciantur, quibus olea blanda expressa addenda sunt, quæ vires requisitas optime exferunt, rursus autem ejiciuntur, antequam rancorem assumere possint. Omnia hic sollicitè rejicienda sunt, quæ intestina irritant; hinc acida & eccoprotica locum demum obtinent, quando inflammatio sedata fuit *b*).

*a*) DEGNER p. 96. §. XV. atque Cel. ZIMMERMANN p. 393. & seqq. & p. 510. & seqq.

*b*) *De Suppuratione aut subita gangræna* vid. Ill. VAN SWIETEN T. III. Cap. *de Inflamm. Intestin.*

§. XV.

Aliter vero res se habet in putrida, in qua citissima putridi fomitis evacuatio & correctio requiritur. Optime igitur emetica statim præscribuntur *a*) & toties repetuntur, quoties febris gradu non obstante materiem pravam in ventriculo & duodeno turgere arguimus. Purgantia acida hæc excipiant, atque in genere acida in largiori copia ingerantur; unciam enim cremoris tartari cum summo fructu brevi temporis spatio exhiberi posse

ostendit Cel. ZIMMERMANN, qui præterea potum theiformem ex floribus chamomillæ prudenter acidis junxit, & enemata & fomenta ex illis paravit. Amaris enim robur debitum sustinetur, putredo domatur & spasmi solvuntur, ideoque excretio cutanea promovetur & dolores sedantur, quæ virtus chamomillæ floribus præ reliquis inest. In pejori autem casu, ubi pulsus parvus & durus tangitur nervis amicum Moschum Cel. Viri laudant; ubi vero pulsus debilis, viresque fractæ, de malignitate amplius dubitare non sinunt mox dicendo modo procedendum est. Mucilaginosa ceterum & oleosa, nisi inflammatio & gravia tormina adsint, in minori copia hic danda sunt, ne antiputridorum virtus enervetur. Salia etiam media irritatione sua humorum affluxum & dolores augendo minus proficua esse censeo. De opio etiam, quo SYDENHAMUS aliique in dysenteria frequenter usi sunt, id tenendum est, quod deleterios effectus edat, nisi primæ viæ jam sufficienter evacuatae sint b). Tunc enim si reliqua adminicula incassum adhibita fuerunt & dolores, tenesimi noctesque insomnes pergant, extractum ejus aquosum in parcissima dosi datum hæc incommoda levat, ut interea per reliqua medicamenta morbum penitus fugare possimus c).

a) Tartarus emeticus solus in aqua solutus, quem sensim sic ingerimus optimum emeticum erit, sive si secundum Cel. PRINGLE eidem Ipecacuanham addimus. l. c. p. 271.

b) Ill. PRINGLE l. c. p. 280. & seqq.

c) Cel. ZIMMERMANN p. 96. & seqq.

§. XVI.

In dysenteria cum febre maligna ea potissimum indicari notum est, quæ vires sustinent, erigunt, immoderatas nervorum commotiones cohibent, & solidorum ac fluidorum in dissolutionem nisi potenter resistunt, sed ita, ut humores vehementer exæstuando non noceant, medicamentis quoque opus est, quæ humores ad intestina ruentes ab illis derivant. Exulent vero omnia quæ, licet ad dysenteriam curandam alias efficacissima sint, debilitant, & intestina irritant, quum ægrum e medio prius tollent, quam effectus speratos edere possint. Ideoque sanguinis missiones rarissime conducunt; emetica etiam & purgantia cum summa cautela præscribenda sunt, & priora tunc demum morbi causa, materiæ turgentis signa & morbi epidemici indoles ea requirunt, in minoribus & repetitis do-  
sibus dentur.

Ex purgantibus solum fere Rhabarbarum locum habet. Vires interim vini generosi albi & aciduli haustibus refocillentur, si nervorum distensiones absint, cum infusis §. præced. amaris, nec non cum jure ex carne vitulina vel pullo cocto, & ubi putridi quid ei junctum est, acida mineralia in aqua ad gratam vel fortiolem aciditatem diluta ægroto porrigenda sunt; abdomini fomenta & cataplasmata ex antiseptis imponantur; vesicatoria quoque, quæ maxime in principio morbi & monente Ill.  
VAN SWIETEN, si humores nondum dissoluti sunt,



profunt, abdomini aliisque locis imposita jure a Cl. Viris commendantur a). Ad diaphoresin sustentandam probe attendendum esse monet Cel. PRINGLE, eamque egregie procedere observavit si manus & pedes aqua & aceto calidis laventur. His prægressis, si morbus majora nihilominus incrementa capiat, sine mora ad corticis internum & externum usum confugiendum est, & ob nervorum distentionem viriumque deperditionem Moschus atque Camphora in usum trahenda sunt b); pertinacem vero alvi fluxum liquore anodyno sive opio moderari debemus c).

a) conf. Cl. ZIMMERMANN l. c. p. 315.

b) conf. Cel. QUARUC *Meth. Medendi* Febr. 1772. p. 57. 58. & 60.

c) Cel. TRALLES *de Usu Opii* Sect. III. p. 184. & PRINGLE p. 325.

§. XVII.

In Chronica dysenteria tandem, intestina ulcerata sanari (de quo v. §. XIV.) acris materies educi, viscerum tonus una restitui alvique fluxus, tenesmi & dolores compesci debent. Huic scopo inferviunt subinde emetica lenia alvum laxantia & frequentius Rhabarbarum, inter quæ roborantia amara, Simarouba vel potius Peruvianus cortex, clysmata solventia cum oleosis & opii denique aliquid conducent, & diæta stricta observanda est. His jam de prophylactica cura aliquid subjungere liceat, cum causas quidem, sed non omnes, præprimis contagium evitare semper possimus. Qui ergo ab

illo sibi præcavere student, acidis præsertim fermentatis, cibus ex vegetabilibus facile digerendis atque vino moderate utantur, quo ultimo mens hilara fervatur metusque contagii pellitur, subitum aëris refrigerium arceant, & a vestibus ægrotorum omnibusque quæ contagium facile afferunt, quantum fieri potest, abstineant, nec jejuni ægrotos adeant, quoniam jejuni magis inspirant levissimo quoque morbi insultu percepto emetico aut purgante assumpto sibi perspiciant d).

d) HOFFMANN T. IV. P. III. p. 538. purgantia hoc scopo dissuadet, quoniam humores ad intestina vocant, contagiosum miasma ergo in suo affectu juvant tanquam causæ occasionales.

§. XVIII.

Dysenteria hoc cum reliquis morbis acutis commune habet, ut materies morbi atque id, quod de corporis humoribus illius vi in alienam naturam mutatum fuit, interdum naturæ moliminibus alicubi disponatur, & priori cessante, novus morbus sic generetur. Fit hoc, si ista per varias excretionum vias, & hic maxime per alvum non eliminata, sive ad mitiorem hunc exitum moliendum apta fuerit. Metastases tales in dysenteria facile gignuntur, si gravior morbus fuit, in quo omne noxium e corpore nec sola natura nec ars expellere potuit, aut ægri vel medentis vitio evacuationes ab initio neglectæ, aut, dejectiones intempestive suppressæ fuerunt. His igitur adscribenda sunt insanies, apoplexia, pleuritis a) & in genere abscessus in visce-

ribus ut & magis optandi ad exteriora depositi ab-  
 fcessus *b*) furunculi, pustulæ *c*) aphthæ, exanthe-  
 mata miliaria *d*) &c., quæ dysenteriam secuta esse  
 sæpius observata fuerunt.

- a) GALENUS de *V. S. contra Erasistr.*  
 b) HIPPOCRATES de *Victu Auctor.* Sect. LIV.  
 c) DEGNER p. 24.  
 d) ZIMMERMANN p. 16. ad 19. qui singulare momentum refert,  
 quod aliqui qui contagio diu se exposuerant, loco dysenteriae nil  
 præter tumores & pustulas, quandoque magnas, metastaticis simi-  
 les in superficie corporis nacti sint, quibus sanatis optime con-  
 valuerunt.

### §. XIX.

Sed, qui nostrum ægrum terruit, novus mor-  
 bus pluribus ex causis maximam attentionem me-  
 retur. Etenim sine ullis signis, quæ metastaticam  
 materiem ad loquelæ organa delatam fuisse indicant,  
 subito obmutuit, ita tamen, quod mirum erat, ut  
 ejulatus edendi & linguam in omnes regiones vol-  
 vendi facultas superstes fuerit. Evidentes quoque  
 aliæ hujus aphonix speciei causæ aberant, hinc nil  
 præter musculorum hæc organa regentium paralyfin  
 in viribus adhucdum exhausto ægro accusare licuit.  
 Erat, scilicet affectus, qui a nervorum musculis  
 laryngis propriis præpositorum (de quibus dein-  
 cept) imperio fere ablato derivandus erat, unde  
 factum fuit, ut larynx in debitum tremulum mo-  
 tum, legibus, quas Physiologi explicant, varie mo-  
 derandum & intendendum, amplius cieri nequi-

verit. Vox autem per ejulatum attamen dignoscenda ab incitato omni, quod de vi musculosa supererat, cum majori simul aëris quantitate per asperæ arteriæ caput pulsa provenisse videtur, ut ligamenti saltem laryngis motus quidam conciliaretur. Nec ipsam linguam ejusque præprimis musculus lingualem, etsi libere se moverit, ab omni culpa immunem fuisse putes, ut debita agilitate sonum istum excipere, & literas ex eo formare atque componere potuerit; ideoque in ejulatum iste erupit.

§. XX.

Morbo igitur, annuentibus indiciis, quæ de primarum viarum statu alias certiores nos reddunt, optima quævis medicamenta extus & intus opponerentur, quæ fibras roborarent & vasa meabilia redderent, neque negligebantur, quæ inimicum, quod forte adfuisset, a nervis avellerent, illisque stimulum redderent, ut pristinas vires allicerent; sed remotior quædam causa, quæ continuo interea agere pergebat, horum actionem everterat. Viscidæ nempe bilis hæud exigua quantitas in ventriculo & duodeno latebat, quæ labem hanc nervis inferebat, quippe statim, ac sui præsentiam striis flavescens in linguæ radice declaraverat *a)*, exhibitum emeticum morbum sustulit, metastasin ergo nerveam morbum cognominare posses *b)*.

*a)* Cur HIPPOCRATES adeo frequenter linguæ inspectione usus hoc etiam exemplo intelligitur. Summo ergo jure BAGLIVIVS *Op.*

Op. p. 425. Medicis inculcavit, quod nunquam ab egro discedent, nisi prius linguam inspicerent.

b) Cl. WEGELIN in Diff. de Metastasi Argent. 1759. p. 14. & seqq.

§. XXI.

Videtur eam villosæ tunicæ ita arcte adhæsisse, ut blandis per alvum evacuantibus neutiquam abstergi se pateretur, intus ergo mansisse, dum vomitoria exhibere, inflammationis metus vetuerat. Cur vero usque dum sensim emota & tota tandem ejecta fuerit, præter virium prostrationem & deinde loquelæ impedimentum nullum sensibilem effectum, nequidem ubi stibulaverat, ediderit, partim antiputridorum & involventium medicamentorum virtuti, partim ejus viscedini, & denique singulari nervorum facultati tribuere debemus, qua longe dissiti potius, quam irritamento vicini non raro læduntur. Propagatio hæc effectuum, quos irritamenta in remotiores locos edunt, intimum consensum pro causa habet, quem sensiles nervi cum cerebro & cum se invicem alunt, tam, quia ramificationibus suis frequenter inter se uniuntur. Modus vero, quo hæc fiunt, tunc demum clarior patebit, quando penetius nervorum & cerebri structura unquam innotuerit.

§. XXII.

Sed primæ viæ & in genere viscera abdominalia præ reliquis C. H. partibus nervos diffusissimos, par

D

scilicet vagum & intercostales accipiunt, quos cum plurimis nervis cerebri & medullæ spinalis communicare Anatomes docet. Ideoque nullum fere dolorum, spasmodorum, paralytis & a nervoso systemate proveniente turbarum genus in toto corpore observatur, quod non sæpius a primis viis affectis ortum traxisse Medici animadverterint. Præcipue autem amant superiores capitis partes, inter quas encephalum primum locum obtinet, aggredi & ab hoc vicissim præ ceteris partibus commoveri. Testantur hoc adeo copiosa recentiorum æque ac artis Parentum observata, ut inter primas vias & caput intimam sympathiam obtinere nullum dubium amplius superesse possit. Illa hic singula congerere superfluum foret, quum Cl. RAHN <sup>a)</sup> qui haud ita pridem in vastum hunc differendi campum cum summo applausu descendit, omne votum circa hanc rem expleverit.

<sup>a)</sup> in Diss. de Miro inter caput & viscera abdominis commercio. Gœtting. 1771. habita.

§. XXIII.

Hinc evenit in nostro casu, ut bilis in primis viis superstes effectus nerveam vim opprimentes ope vagi paris ad nervos mox dicendos usque extenderit, unde communicatio inter cerebrum & quasdam vagi paris ramificationes sublata fuerit. Videntur potissimum illi rami, qui linguæ musculo & nonnullis aliis linguæ musculis prospiciunt, prouti etiam laryngei superiores & inferiores, forte

etiam recurrentes vagi paris, & aliqui intercostales nervi ramuli qui cum octavo pare se uniunt, labefactati fuisse, ut musculorum quos adeunt, linguam & laryngem moventium integritas non amplius constiterit *a*). An igitur medius affectus inter apoplexiam & epilepsiam aponia consensualis cum BONETO *b*) nominanda erit? *Graviori morbo, ubi ab initio ejus velut apoplectici sine sensu ægri cadunt, non autem motu privantur, neque tamen convelluntur ut epileptici c*), hoc nomen melius competere non negaverim. Id saltem evictum est, quod, ni morbus aptis remediis vincitur, apoplectici aut convulsionibus correpti ægroti moriantur *d*).

*a*) Malum si levissimum fuerit tremores solummodo linguæ & balbuties inde generantur.

*b*) L I. Sect. II. Obs. XVIII. Append. I. conf. & MORGAGNI Ep. XIV. art. 34.

*c*) Talem observavit SPIGELIUS Lib. II. *de febre Semitertiana*. C. 16. quem BONETUS loc. cit. citat. Hinc HIPPOCRATES hac voce passim pro comate nec non apoplexia utitur.

*d*) Videtur HIPPOCRATIS *Aphorism.* Sect. 5. n. 5. CELSUS *de Medic.* p. m. 55. MORGAGNI *Epist.* c. art. 35.

#### §. XXIV.

Ex dictis nunc intelligitur, cur loquelæ atque vocis organa a vitis in istis visceribus præsentem damnum crebro patiantur. Idem enim ab ulcere ventriculum rodente surrexisse observatum fuit *a*). Sic Vermes, qui tantas & adeo stupendas tragedias in C. H. frequenter ludunt, vellicando ventri-

culum & intestina non raro aphonix causæ sunt *b*). Colicæ etiam vehementes & diurnæ *c*), nec non pictonum Colica *d*) illud produxisse, notum est. Ita & narcoticis deglutitis *e*) & vino ad ebrietatem usque hausto idem subinde ortum suum debet *f*). Non itaque nunc mireris, quod bilis quoque acris & deleteria indoles illi ansam præbere possit, id quod cum Cel. quibusdam Viris; venerandus meus Parens observaverat. Malum hinc semper etli hostis ex ventriculo & intestinis pelli potuit.

*a*) BONETUS l.c. Obs. XVIII.

*b*) FORESTUS *Obs. Medic.* L. VI. Obs. 58. HEINTKE *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. A. X. Obs. 47. aliique.

*c*) CASPAR. BARTHOLIN, *Institut. Anatom.* L. III, C. II.

*d*) DE HAEN *Diff. de Colica Pictonum.* C. II. §. III. & VII. T. II. P. II. p. 334.

*e*) v. SAUVAGES & MORGAGNI *Epist.* XIV. art. 35. Ep. LXIII. Art. XIII.

*f*) BAGLIVIVS *in Op.* p. 100. EGGERDES *Ephem. Natur. Cur.* Dec. III. A. IV. Obs. 8. KOELICHEN *in BARTHOLINI Act. Hafn.* A. 1671. Obs. 86. & 87.





Strassburg, Med. Diss., 76 Milhaun-  
Mushinger

X 247 8692





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
DYSENTERIA  
QUAM EXCEPIT  
APHONIA  
CUM  
EPICRISI  
QUAM  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI  
IN  
CLYTA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE  
DIE XXVIII. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXV.  
SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI SUBJICIT  
JOHANNES FRIDERICVS  
MOSEDER,  
ARGENTINENSIS.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI,  
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

